

ne nous dit pas quelle fut la conclusion du procès. Nous sommes édifiés en tout cas sur le triste état du pouvoir ecclésiastique à cette époque; et sur l'autorité toujours plus grande prise par la royauté dans le Lyonnais.

ducentesimo octogesimo quarto, die lune post festum apostolorum Symonis et Jude, indictione decima tertia, pontificatus domini Martini pape quarti anno quarto, dominus Guigo de Bueys canonicus Lugdunensis et magister Guichardus de Villafancha clericus, ex parte venerabilium virorum domini P. de Augusta archidiaconi et domini H. de Villers camerarii Ecclesie Lugdunensis obedientiariorum comitatus Lugdunensis, requisierunt prepositum Matisconensem ut ipse redderet et restitueret eisdem obedientiariis vel mandato ipsorum quatuor clientes seu satellites, quos ipse ceperat seu capi fecerat; qui in aliquo non delinquerant, ut dicti canonicus et magister G. asserebant, et quos parati erant habere ad justitiam, offerentes dicto preposito se paratos omnibus de ipsis clientibus conquerentibus exhibere justicie complementum. Qui prepositus respondit quod ipse inhibuerat, in domo dicti domini archidiaconi, ex parte illustris regis Francie, in cujus manu ipse prepositus posuerat, ut dicebat, curiam secularem Lugduni, ne aliqui badelli irent per civitatem Lugdunensem ex parte dictorum archidiaconi et camerarii et quod ipse ceperat dictos clientes pro eo quod ipsi contra dictam inhibitionem suam ibant per civitatem Lugdunensem cum armis et tanquam badelli; dicens quod eos non redderet nisi emendarent injuriam factam domino regi predicto; immo quod caperet de aliis, ut dicebat, si eos inveniret euntes per dictam civitatem; et quod forte non caperentur ita curialiter sicuti alii capti fuerant. Deinde discessit ab eis; et, post modum, revertens ad eosdem dominem G. et magistrum Guichardum, dixit eis quod ipse adjornabat eos apud Matisconem ad assisias, ad diem veneris post festum omnium sanctorum, et quod tunc ibidem faceret eis justitiam super premissis.

Actum Lugduni, in vico qui dicitur *li payrolari*, prope domum Francisci albergatoris, presentibus domino Roberto de Pyneto canonico Lugdunensi, magistro Jacobo Symeonis et Petro de Santonaa clericis, vocatis testibus et rogatis.

Et ego Guillelmus Benedicti de Balone Lugdunensis dyocesis auctoritate apostolica publicus notarius premissis omnibus rogatus interfui et ea scripsi et publicavi meoque signo solito roboravi. — *Arch. du dép. du Rhône*, arm. Abel, vol. 21, n° 3.